



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Controversia Vnica. An ratio doni propriè soli conueniat Spiritui sancto: &
an eidem tribuatur ratione essentiæ, vel personalis proprietatis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82303)

Sensus quesiti.

CVM in articulo precedente determinatum sit donum esse nomen personale & conuenire non tantum Spiritui S. sed etiam Patri & Filio & essentia: non potest hic quæri, an sit propriū Spiritui S. absolute loquendo: id est an soli cōueniat spiritui S. Sensus ergo quesiti est. An donum secundum aliquam suam significationem sit nomen soli congruens Spiritui Sancto.

Forma Textus.

CONCL. est. Donum secundum quoddam personalem sumitur in diuinis, est proprium nomen Spiritus sancti. Probatur. Amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur. Sed Spiritus S. procedit ut amor; ergo procedit in ratione primi doni, & sic donum personaliter sumptum in diuinis est proprium nomen spiritus sancti. Minor patet ex primo articulo quæst. precedentis. Maior probatur. Primo ratione. Donum importat gratuitam donationem: sed ratio gratuita donationis est amor; ergo primum quod alicui damus siue donamus est amor, & sic amor habet rationem primi doni per quod &c. Maior huius argumēti probatur, quia donum secundum Aristotelem in 4. Top. cap. 4. est datio irreddibilis, id est, quæ non datur intentione retributionis; ergo &c. Minor autē, quoniam ideo gratis aliquid alicui damus, quia volumus ei bonum: ergo primum quod ei damus est amor, quo volumus ei bonum. Deinde probatur maior principalis argumenti auth. August. 15. de Trinit. dicentis. Per donum quod est Spiritus sanctus &c.

Expositio Textus.

QUOD HIC ait S. D. Spiritum S. procedere in ratione primi doni, lucidius aperit in 1. sent. dist. 18. quæst. 1. art. 2. dicens, Spiritum S. esse per se primò donum, & ex ratione suæ processionalis habere in se ut detur, & ut sit ratio dandi; quod non ita intelligendum est, ut Spiritui S. ratione suæ proprietatis personalis conueniat esse per se primò donum; alijs autem scilicet personis, & essentia conueniat per Spiritum S. alioquin haberet Spiritus S. ad illa nonnullam formalis causalitatis habitudinem; quin potius essentia, prout essentialis amor est, prius congruit ratio doni quam Spiritui S. eo quod semper communia priora sint proprijs. Igitur ea forma loquendi, duo mihi videtur intendere S. D. Primum est: Spiritum S. creatis & à Deo nobis collatis donis comparatum esse per se primò donum, & rationem omnis gratuitæ collationis: non ex parte Dei sed ex parte nostri, quatenus vi suæ processionalis emanat ut amor. Secundum est: Spiritum S. ratione amoris essentialis inclusi esse rationem omnis gratuitæ collationis, tam rei creatæ quam increatæ; quod est dicere: Spiritum S. ex vi suæ processionalis amorem essentialem includere, cui conuenit esse primum donum & rationem omnis doni, tam ex parte donantis quæ ex parte eius cui fit donatio, ut etiam explicat S. Thom. in allegata quæst. art. 3. Quamuis enim Pater & Filius identice claudant amorem, non tamen formaliter neque ex vi suæ processionalis, cum Pater nec ut amor vel impulsus concipiatur à nobis, nec procedat ab aliquo; Filius autem e-

A manet ut verbum à dicente per actum intellectus: Et per hæc soluitur dubitatio Zumel. addita eius disputationi: ubi malè concedit Spiritum S. esse peculiarem rationem ipsi Deo operandi donum in rebus.

Aduerte præterea difficultatem tactam in argumento 3. an Spiritus sanctus possit dici donum nostrum, ex professo tractari ab Angelico nostro Doctore in dicta quæst. art. 5. Vide etiam quæ scribit Zumel. ex August. lib. 5. de Trin. cap. 14.

Lege tandem, si placet ea, quæ in dicta disputatione notat idem expositor ex Aug. ad probandum Spiritum S. esse donum.

CONTROVERSIA VNICA.

An ratio doni proprie soli conueniat Spiritui sancto: & an eidem tribuatur ratione essentie, vel personalis proprietatis?

ZUMEL. super præced. respondens ad primam huius controuersie partem, dixit essentiam diuinam, Patrem & Filium posse dici donum largè & improprie sumptum: Spiritum S. verò proprie. Quod etiam pluribus argumentis nititur confirmare in disputatione ad præsentem articulum. Ad secundam autem respondet cum Caietano esse donum, id est habere relationem donabilitatis, siue esse aptum natum donari creaturis; quod principaliter significatur nomine doni conuenire Spiritui S. ratione amoris essentialis inclusi in ipsa persona Spiritus S.

Val. dicit quatuor. Primum. Nomen doni ex vi suæ significationis potest etiam competere personæ filij, cui conueniunt tres conditiones ad significationem dicti nominis pertinentes. Secundum. Nomen doni proprium est Spiritui sancto propter vsum & accommodationem Doctorum. Tertium est. Nomen doni principalius significat relationem ad donantem: secundariò verò respectum ad creaturas. Quartum est. Relatio ad creaturas competit Spiritui sancto ratione suæ quoque proprietatis personalis formaliter.

Vasq. 153. cap. 2. ad priorem partem respondet rationem doni, quod sua natura donum est, esse proprietatem Spiritus sancti & nulli alteri conuenire personæ: & hanc ait esse sententiam D. Thomæ in hoc a. & Sancti Bonau. in 1. dist. 18. q. 4. Ad posteriorem verò controuersie partem, quam examinat disputatione sequenti, videlicet 154. respondet opinionem S. Th. sibi probari, quæ affirmat tertiam personam suæ proprietate personali non solum esse spiritum, sed etiam donum; & eò esse donum, quo est spiritus; sicut filius eo est verbum, quo est filius. Quam sententiam expressius (inquit) tradit idem S. D. in 1. dist. 18. q. 1. a. 4. Eiusdē opinionis videtur fuisse Capr. in 1. dist. 18. q. vnica ad primum argum. secundum ordinem, ubi sic loquitur: Conceditur quod ille respectus rationis (quem scilicet importat nomen doni ad eos, quibus datur) non intrat constitutionem diuinæ personæ, sed assequitur illud, quo formaliter constituitur: quia illud constitutum non potest à nobis intelligi, nisi intellecto respectu rationis. Hæc ibi Capr. Si itaque relatio prædicta consequitur constitutum Spiritus S. nec sine ea potest intelligi ratio doni; sequitur Spiritum S. esse donum ratione suæ proprietatis personalis. Omitto sententias Dur. & alio-

Quomodo Spiritus sanctus procedat in ratione primi doni.

& aliorum à recentioribus relatas & ab eis sufficienter confutatas.

Oppositam sententiam habet Cai. in hoc articulo quem ceteri nostrates sequuntur interpretes; quæ, quoniam mentem assequitur D. Th. diligenter erit à nobis explicanda, & contra aduersariorū obiecta solidis legitimæ doctrinæ fundamentis munienda.

Resolutio.
Soli sancto
conuenire
proprijsimè
nomen,
&
rationem
doni.

SUPPONENDA nobis hic est in primis ea doni diffinitio, quam in a. preced. collegimus ex dictis A. nostri D. in utroque huius quæstionis articulo, & ex eius doctrina declarauimus.

Secundò obseruandum est, nomen aliquod secundum rationem per illud significatam posse dupliciter de aliquo propriè dici. *Vno modo,* prout dici propriè distinguitur contra dici metaphoricè, extraneè, abusiue, impropriè, aut per quandam appropriationem, vel etiam accommodationem; & hoc modo dicitur propriè nomen doni de essentia & singulis personis, vt patet ex dicta diffinitione superius explicata; quæ tota, quamuis diuersimodè, cuilibet personarū & essentia conuenit. *Alio modo* potest nomen de aliquo dici propriè iuxta diffinitionem proprii quarto modo sumpti; vel vt idem est quod per se primò, siue secundum quod ipsum, vt scilicet illi non per aliud, & alijs per ipsum conueniat: sicut soli lux propriè conuenit & per se primò; quia proprietas eius est ex eius natura pullulans, & ceteris ex eius diffusione conueniens; & hoc modo soli Spiritui sancto dicitur propriè secundū peculiarem quandam rationē conuenire nomen doni personaliter accepti.

Tres doni
conditiones.

Pro cuius intelligentia notat Iauel. ex *Heruēo in 1. dist. 18.* tres esse conditiones doni proprijsimè sumpti. *Prima,* vt sit res apta dari alicui vt sit eius; & huius defectu nec relatio personalis nec proprietas indiuidualis nec forma substantialis potest (inquit) esse donum; cum non possit Pater suam alteri paternitatem, nec indiuiduum suam proprietatem indiuidualem, aut formam substantialem communicare. *Secundæ* conditio est, vt sit in autoritate dantis, quæ in diuinis est per solam originem; & per hanc excluditur tam essentia, quam pater; quoniam in nullius autoritate sunt per originem. *Tertiæ* conditio est, vt res illa liberè & gratuito detur, & id habeat ex modo suæ processionis; & secundum hanc esse donū proprijsimè conuenit Spiritui sancto. Sed quamuis tres prædictæ doni conditiones scite positæ fuerint ab Heruēo: non rectè tamen asseritur primæ conditionis defectu personalem & indiuidualem proprietatem, aut formam non habere rationem doni. Falsum est enim singula prædicta non posse rationali creaturæ communicari; id est ad fruendum concedi. Fruitur enim diuinitate beatus vt forma quadam intelligibiliter informante, & vt obiecto cognitionis & amoris: & similiter personis & earū proprietatib⁹ constitutiuis, & distinctiuis, sine quibus nec Deū videre posset, prout in se est: nec eo perfectè frui; quāuis vna sit & sola ratio visionis & fruitionis, quæ est essentia, prout summa veritas est & bonitas, vt latè diximus *supra quæst. 12.*

Subsumitur
minor,
&
deducitur
inuenta con-
clusio.

a. 7. Cum itaque Spiritus S. aptus sit, vt alteri donetur, & sit alterius videlicet spiratoris per originem, & ex modo & vi suæ processionis habeat, vt liberè & gratuito donetur, quatenus procedit vt amor; consequens est illi soli proprijsimè conuenire nomen & rationem doni, vt scilicet sit per se primò donum, modo superius explicato in expositione textus. Itaq; licet absolute lo-

quando ratio primi doni videatur essentia, quatenus amor est conuenire; secundum tamen iam dictam specialem rationem cōgruit Spiritui sancto ratio doni personaliter accepti; quia scilicet solus Spiritus sanctus ex vi & modo suæ processionis emanat vt amor. Ad cuius euidentiam.

Tertiò considerandum est, cum dicitur Spiritus S. procedit vt amor, posse amorem sumi personaliter & essentialiter: & utroque modo sumendo amorem, ex hoc principio rectè sequitur Spiritum S. procedere vt primum donum, siue vt per se primò donum; si enim accipiat amor essentialiter, dictio illa, vt, denotat modum amoris essentialis conuenire Spiritui sancto ex vi suæ processionis; & consequenter etiam rationem doni quo ad respectum donabilitatis esse propriam Spiritus S. cointellecta relatione originis, quæ secundariò nomine doni significatur. Dixi verò cointellecta relatione originis; quia nomen doni tria importat in diuinis, scilicet rem donabilem quæ est amor personalis: respectum donabilitatis consequentem amorem essentialē clausum in ratione doni; & relationem originis. Quo fit vt hoc nomen *donum* sit à nobis accipiendum & iudicandum veluti complexum ex essentiali & notionali; vt sunt hæc, Deus generans, Deus genitus, sapientia genita, Deus spiratus, amor productus; singula enim horum propria sunt alicuius personæ ratione totius cōiuncti simul acceptis vel etiam, quod maius est, vna pars ratione alterius id est vt alteri coniuncta inter propria computatur vt hic subtiliter aduertit Cai. Igitur nomen doni proprijsimè conuenit Spiritui S. quatenus est amor procedens siue vt procedit per modum amoris: licenim amor & eius modus vt coniunctus relationi originis, quam significat dictio illa, *procedens*, proprius est personæ Spiritus S. & consequenter etiam relatio donabilitatis ac proinde etiam ratio doni. Si verò in ea propositione sumatur amor personaliter, poterit etiam bene deduci Spiritum sanctum procedere vt primum donum; quoniam in ratione amoris procedentis, qui est Spiritus S. includitur in obliquo amor essentialiter acceptus; quia Spiritus S. procedit per modum impulsus & amoris.

Recta igitur est illatio: Spiritus S. procedit vt amor id est vt impressio amando procedens; igitur procedit vt primum donum. Iam autem diximus amorem essentialē & eius modum ac relationem ad creaturas accepta, prout relationi originis constitutiue Spiritus S. sunt coniuncta, inter propria personæ Spiritus S. cōputari: atque ideo nomen doni, quod in istarū complexi nominis prædicta simul importat, esse nomen personale proprium Spiritus sancti. Quamuis igitur amor essentialis sit absolute per se primò donum, non est tamen per se primò donum personale. Sed hoc soli conuenit Spiritui S. vt affirmat conclusio S. Thom.

Quartò pro veritate secundæ partis 'propositæ controuersia notandum est cum Caietano, non hoc, *donum*, communiter acceptum ad doctores & rationes num creatum & increatum importare tria iam amoris essentialis supra repetita, videlicet re donabile; respectum donabilitatis id est ad rem cui donari potest: dicit enim donum rem aptam alteri donari; & relationem ad donantem, vt sit illius aliquo ex modis superius explicatis, quæ habentur in resp. ad 1. præc. a. Hæc verò tria non æquè representant nomen doni. Nā re donabile importat denominatiue; dicitur enim donū res donabilis: relatione autē donabilitatis primò significat, vt satis aper-

Ratione do-
ni conuenire
Spiritui sā-
cto rationis
essentialis in-
clusi, non an-
tem ratione
propietatis
personalis.

apertè colligitur ex principio corporis articuli *A* præcedentis, & ex responsione ad 4. eiusdem art. & ex diffinitione Arist. hic relata. Denique nomen doni respectum ad donatorem secundariò significat siue consignificat. Sumendo verò restrictè nomē doni, prout dicitur in diuinis personaliter, quomodo etiam loquitur expressè conclusio præsentis articuli, tria prædicta claudit limitatè, eodem ordine quo nomine doni communiter accepto diximus importari. Cum enim amor sit primum donum & ratio omnis doni: & primum absolutè donum illud sit, quod in Deo est, & à Deo nobis confertur: nomen doni in Deo dictum amorem personalem denominat vt rem per se primò donabilem, & amorem essentialem significat in obliquo: sicut persona significat essentiam in obliquo, & verbum notitiam. Principaliter autem donum significat respectum donabilitatis, qui est relatio rationis ad creaturas rationales, quibus est donabilis: postremò consignificat relationem processionis constitutiue Spiritus S. qua dicitur esse donantis per originem.

Non est idē
ordo in re
bus, qui est
in significan
do.

Quamuis autem hoc ordine prædicta significet nomen doni, non est tamen necesse, vt eodem ordine spiritui sancto conueniant. Cum enim omnis cognitio nostra, quam hic habemus de Deo, vel sit ex creaturis, vel habeat saltem modum cognitionis earum; intellectus noster tam in concipiendis, quam in nominandis diuinis eundem seruat ordinem, quem in consimilibus rebus aut rationibus formalibus apud nos intuetur. Non oportet igitur, vt sit idem in rebus aut rationibus formalibus diuinis ordo, qui est in conceptione, & significatione nostra, sed diuersus immò & contrarius esse potest: sicut etiam est in re proposita: Nam personæ Spiritus S. primò conuenit eius proprietas personalis, quæ refertur ad spiratorem scilicet patrem, & filium, vt ad vnum donatorem. Secundò amor essentialis ad quem sequitur respectus donabilitatis, vt ait S. D. in respons. ad 4. præcedentis articuli: nullum enim personale, quatenus tale, respectum habet ad creaturas; omnis ergo relatio diuinæ personæ ad creaturas ex essentia, seu essentiali in ea clauso provenit vt ex primo, & proprio fundamento, non ex proprietate personali.

Quemadmodum igitur verbum tria continet scilicet relationem originis ad dicentem, notitiam essentialē & habitudinem ad res verbo repræsentatas siue dictas vel etiam faciendas: ita donum claudit prædicta, videlicet relationem originis, amorem essentialē & respectum donabilitatis id est habitudinem ad amata, quibus est donabile. Sicut ergo verbum, quatenus verbum, non dicit solam proprietatem personalem siue relationem ad dicentem, sed etiam notitiam & relationem ad dicta, & ideo nulla est hæc consequentia: verbum vt verbum dicit habitudinē ad res verbo dictas; ergo proprietas siue relatio verbi constitutiua dicit hunc respectum, aut verbum siue filius hanc habet habitudinem ex sua proprietate personali: eo quod hoc nomine verbum, plura claudantur, quam sola contineat proprietas personalis; ita nulla est hæc consequentia: Nomen doni primò significat relationem ad ea quibus est donabile; ergo eandem habitudinem significat vel includit proprietas relatiua Spiritus S. aut Spiritus S. eam habet relationem ex sua proprietate personali. Nam, vt ostendimus, plura clauduntur in nomine doni, quam in nomine processionis seu passiue spirationis, vt est relatio constitutiua Spiritus S.

PRIMA CONCL. Nomen doni tam in communē, quam in speciali primò significat respectum donabilitatis.

SECUNDA CONCL. Nomen doni dicitur propriè id est non metaphoricè, extraneè, abusue, impropriè, aut per appropriationem, vel accommodatiōnem de Deo, & deitate, ac singulis diuinis personis. Hæc patet ex diffinitione doni his omnibus congruente.

TERTIA CONCL. Nomen doni personaliter dicti secundum speciale quandam rationem conuenit spiritui S. propriè id est conuertibiliter & propriissime & per se primò. Probatur ex conditionibus d. n. propriissime sumpti latè superius explicatis. Et in hoc sensu verum est primum dictum Vasq.

QUARTA CONCL. Ratio doni conuenit spiritui S. ratione essentia id est amoris essentialis inclusi, non autem ratione proprietatis personalis. Probatur; quia donum primò significat relationem ad creaturas, quibus est donabile; sed nullum personale quatenus tale dicit respectum ad creaturas, ergo &c.

CONTRA primam concl. argum. Val. Nomen doni significat relationem ad donantem obiectiue, tanquam quid intrinsecum ipsi rei quæ donatur; ergo hæc relatio primariò videtur obiectiue significari per id nomen, relatio verò ad creaturas quasi secundariò. Resp. falsum esse antec. formaliter loquendo. Nam quamuis materialiter & secundum rem relatio illa dono personaliter dicto sit intrinseca, & illi primò conueniat: non tamen significatur primò nomine doni; quia nomen doni ad eam primò significandam non est impositum, sed ad significandum respectum donabilitatis; relationem autem ad donatorem consignificat aut secundariò significat.

CONTRA secundam concl. argum. Zumel. Primò. Donum propriè sumptum importat distinctionem rei donatæ & donantis; ergo minus propriè dicitur de essentia & persona patris. Resp. falsum esse antecedes in sensu nostre conclusionis, vt patet ex diffinitione doni, quæ talē distinctionem non includit.

Secundò. Secundum communem Sanctorum sententiam, & D. Tho. in hoc articulo donum solum dicitur de Spiritu sancto & in sacris litteris solus spiritus sanctus appellatur donum, vt ostendit Aug. 15. de Trin. c. 19. Resp. his authoritatibus probari soli spiritui sancto conuenire nomen, & rationem doni personaliter accepti, non simpliciter sed secundum quandam specialem rationem soli spiritui sancto congruentem, id est per se primò ac propriissime; quia scilicet solus spiritus sanctus procedit vt amor, & consequenter vt primum donum. Itaque ratio primi doni personaliter accepti soli conuenit spiritui sancto; cum tamen simpliciter loquendo filio etiam conueniat ratio doni personaliter accepti. Et per hæc soluitur etiam aliud argumentum eiusdem expositoris.

Contra eandem concl. argum. Vasquez. Rei, quæ ex liberali voluntate ei accedente donari potest, ratio doni provenit extrinseca tantum denominatione à voluntate donantis, quæ illi omnino accidentaria est; ergo ad rationem doni, quod donari aptum est, siue quod propriè donum est, requiritur esse productum per amorem, vt ipsius productio sit substantialiter donatio: id verò soli conuenit spiritui sancto. Resp. falsum esse antecedes. Nam etsi ratio doni dicat rem donabilem esse in potestate do-

conclusio.
nes de du-
tax. & præ-
bas.

Argumenta.
ta. & solu-
tiones.
ob. cōt. h.
concl.

Solut.

Ob. 1. con-
2. concl.

Solut.

Obi. 2.

Solut.

Solut.

nan-

nantis ad hoc, vt alteri communicetur: esse tamē alteri communicabile ac proinde donabile, vt sic primò & formaliter dicit relationem ad eum, cui est donabile: quæ relatio ac denominatio prouenit ab intrinseca rei natura, qua res frui-
 oni vel vsui alterius apta redditur. Constat autem quamlibet personam ex sui natura esse aptā frui-
 tionis: cum non tantum essentia, sed etiam personis fruatur beatus, quamuis ratio fruendi sit essentia, vt summa bonitas est in Deo & quamlibet persona intrinsecè clausa.

Obi. cont. 3.
 concl.

CONTRA tertiam concl. sunt argum. quæ referunt & soluunt Capr. Caiet. Iauellus & Zum. *super hoc a* quorum solutio patet ex dictis. Contra eandem concl. *argum.* Valentia. Quamuis Spiritus S. sit amor, atque adeo id quod primò solet donari, non efficitur vt illi soli competat nomen doni ex vi suæ significationis; ergo &c. Antec. probatur: quia non consuevit dici donū solus amor, sed alia multa; igitur ratio D. Th. tantum ostendit meritò à Doctoribus fuisse id nomen tertie personæ attributum: quod facile potuerunt facere; cum nominum vsus sit ad placitum. *Resp.* falsum esse antec. in sensu nostræ conclusionis. Ad probationem negatur consequentia; quoniam amor per se primò conuenit ratio doni. Cum igitur solus Spiritus S. procedat vt amor, illi soli conuenit ratio primi doni personaliter accepti.

Solut.

Obi. 1. cont.
 4. concl.

CONTRA quartam concl. argum. Valentia. Primò Spiritus S. secundum suam proprietatem personalem est amor productus; ergo est donū secundum eandem proprietatem. *Resp.* falsum esse antec. loquendo de proprietate personali præcisè: hæc enim tantum relatio est: amor autem productus duo dicit scilicet amorem essentialem significatum ea dictione *amor* & relationem originis expressam ea voce *productus*: Sicut cum dico, Deus spiratus, dico essentiale & notionale.

Solut.

Obi. 2.

Secundò. Sicut verbum producit secundum suam proprietatem personalem ex cognitione creaturarum: ita & Spiritus S. ex earundem amore; sed rectè idcirco dici potest verbum secundum suam quoque proprietatem personalem habere respectum rationis ad creaturas, vt eas quidem tanquam verbum representat, quamquam non vt eas per communem essentiam facit; ergo pari ratione respectus Spiritus sancti ad creaturas, vt donum nominatur, erit etiam secundum proprietatem illius personalem. *Resp.* primò falsum esse maiorem quo ad vtranque eius partem. Nam primò secundum multorum sententiam falsum est verbum produci secundum suam proprietatem ex cognitione creaturarum quandoque existentium. Secundò falsum est similem esse rationem de Spiritu S. vt scilicet procedat ex amore creaturarum. Tertiò negatur minor; quia respectus omnis ad creaturas, quem habet verbū vt representatiuum, conuenit ei ratione essentie intrinsecè clausæ.

Solut.

Obi. 3.

Tertiò. Ipsa etiam persona Spiritus S. donatur ad fruendum rationali creaturæ; igitur secundum proprietatem personalem est donum. *Resp.* nullam esse consq. præcisè loquendo de proprietate personali: sed sequitur tantum in ratione doni personaliter dicti claudi non solum essentiam, sed etiam proprietatem personæ constitutam.

Solut.

Obiectio in
 ordine 4.

CONTRA eandem concl. argum. Vasq. Primò. S. Th. in 1. dist. 18. q. 1. a. 4. docet Spiritum S. ratione suæ proprietatis personalem, non solum esse Spiritum sed etiam esse donum: & eo esse donū,

quo Spiritus: sicut filius eo est verbum, quo filius; & idem docet Capr. eadem dist. & August. in 5. de Trinit. c. 11. & lib. 4. c. 20. Respondetur D. Solus. Th. ibi duo dicere: Primum est: Sicut processio Spiritus S. dicit relationem vel proprietatem, sic Spiritus S. proprietate sua formaliter loquendo est Spiritus S. & amor, & donum, non autem Deus: sicut nec filius filiatione sua est Deus formaliter loquendo, sed filiatione est filius, & deitate est Deus, & sapientia sapiens. Secundum est: Si processio dicat emanationem, tunc potest dici, quòd Spiritus S. sua processione est Deus & donum: sicut etiam filius sua natiuitate est filius & Deus; quia sicut filius nihil habet, nisi quod nascendo accepit: ita & Spiritus S. nihil habet, nisi quod procedendo accepit. Ex quibus verbis satis apertè constat D. S. ibi loqui de dono, non ratione significationis ipsius nominis, sed ratione rei significatæ, quæ est persona spiritus S. sicut filius quædam persona est. Et quoniam Spiritui S. cui per se primò congruit ratio doni personaliter accepti, conuenit etiam primò secundum rem eius proprietatem relatiuam: sicut verbo vel filio primò conuenit proprietatis, siue relatio personalis, idcirco S. Th. ad rem magis, quam ad nominis significationem vel ordinem in significando respiciens, dixit Spiritum S. proprietate sua formaliter loquendo esse donum; quia scilicet ea constituitur in esse personali. Et in eodem sensu loquuti sunt Capr. & Aug.

C Secundò. Spiritus S. ideo est donum, quia ipso actu, quo procedit, donari potest: sed hoc habet Spiritus sanctus ratione proprietatis; ergo &c. Probatur minor. Nam ratione proprietatis procedit per actū amoris, quo donari potest, imò proprietatis illius in ea origine fundatur; ergo habet rationem doni ex proprietate personali, in qua producit. *Resp.* falsum esse minorem. Ad probat. negatur assumptum loquendo de proprietate præcisè; nam quòd Spiritus S. procedat per actum amoris, habet nedum ex proprietate personali, verum etiam ex essentiali amore inclusio: ex quo sequitur relatio ad creaturas, quæ primò significatur nomine doni.

Solut.

QVAESTIO XXXIX.

De personis ad essentiam relatis, in octo articulos diuisa.

POST ea, quæ de personis diuinis absolute tractata sunt, considerandum restat de personis in comparatione ad essentiam, & ad proprietates, & ad actus notionales: & de comparatione ipsarum adinuicem.

Quantum igitur ad primum horum, octo queritur.

Primò, Vtrum essentia in diuinis, sit idem quod persona.

Secundò, Vtrum dicendum sit, quòd tres persone sunt vnius essentie.

Tertiò, Vtrum nomina essentialia predicanda sint de personis in plurali, vel in singulari.

Quartò, Vtrum adiectiua notionalia, aut verba, vel participia predicari possint de nominibus essentialibus, concretè acceptis.

Quintò, vtrum predicari possint de nominibus essentialibus, in abstracto acceptis.

Sextò, Vtrum nomina personarum predicari possint de nominibus essentialibus concretis.

Septimò, vtrum essentialia attributa sint approprianda personis.

Octauò, Quod attributum cuius persona debeat appropriari.

Ratio